

mendamur; unde non potest non consequi externa vite morumq; immutatio & renovatio. Quod si nunc aliquis solum externam Pœnitentiam agat assistens ab enormibus flagitijs pœnæ metu, interior autem homo pelliculam veterem retineat, nec curet interiorē illam novamq; vitam in Christo ingredi, næ vero hic talis nihilominus damnabitur, atque nec hilum illi proderit clamare *Domine Domine*, sed audire cogetur illud terribile *Nescio vos*. Jam enim certum & constitutum est, non omnes qui dicunt *Domine Domine regnum cœlorum intraturos*, verum eos tantum qui faciunt voluntatē Patris cœlestis. Quo terribili divinæ majestatis Senat⁹ consulto omnium ordinum homines cōprehēdi manifesta res est. Quotquot enim intus & in corde veram internamq; Pœnitentiam non agunt, nec nova creatura in Christo fiunt, hos vicissim Christus pro suis non agnoscet, &c:

CAPUT V.

QUID SIT VERA FIDES.

1. Joan. 5. *Omnis qui credit quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est.*

Fides